Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 647
Quelle:
Copyright:

uerit, vividos oculos et non vulgarem veteris ſcripturae uſum adferat, neceſſe eſt.

CCCXI.

R. 2006 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 163. f. luculente et pulcre ſcriptus, rubricis diſtinctus, quondam *fratrum Carthuſienſium prope pragam*, et dein *Jo. Cantoris Wratiſlauien. Cancellarij Archiep. Decani ſancti Apollinaris Pragen.* duo continet Opera. I. *Incipit Jeronimianum compoſitum per iohannem andree de bononia ſummum decretorum doctorem ad honorem beati ieronimi egregii doctoris eccleſie.* Praefatur, neſcio quis, hoc modo: *Jeronimianum hoc opus per iohannem andree urgente deuocione compoſitum in partes rite diuiditur — Ipſius vero partes ſunt Quatuor — Primo autem ponit auctor ſui admiracionem queruloſam* (non ſatis videlicet *Hieronymum* coli in *Italia*) *Secundo ponit beati ieronimi legendam et miracula — Tercio per ſanctorum et doctorum auctoritates Jeronimum glorioſum extollit — Quarto — ipſius ſcripta et canones transſumptos ex illis nominatim* (excerpendo nempe) *exprimit* &c. En igitur Operis methodum, quod congeſſit ſupra dictus Sec. XIV. clariſſimus Jur. Can. Doctor, idemque D. *Hieronymo* addictiſſimus. Editionem ejus, teſte *Mazzuchellio Vol.* I. P. 2. p. 700. factam a. 1482. *ſ. l.* f. rariſſimam eſſe oportet, quod nunquam vidi. Codices plures *mſſ.* eodem loco referuntur. Initium eſt: *Jeronimum iugiter allegamus. ſed modice ueneramur. ammiror in hoc ytaliam dececiſſe. In qua ſub omnium condoctorum nominibus eccleſie pullulant. Et ultra V. luſtra perquirens ſcire non potui. Jeronimum ibi extra originis ſue locum habuiſſe vel unicam, citus* (praeter) *troyam, de qua in huius partis talo dicetur. Nouiſſime tamen percepi, fore duas in tuſcia et ducatu, de quibus in eiusdem partis calce ſubmittam* &c. Cum prolixo loco *Alani de Planctu Naturae* Opus concluditur.

II. *fol.* 105. Alterum Opus hunc titulum praefert: *Incipit cronica fratris martini de ordine predicatorum penitentiarij domini pape et capelani de quatuor regnis majoribus et de ſummis pontificibus et romanorum Imperatoribus ex diuerſis geſtis ipſorum edita et compoſita.* Extat celebre hoc Chronicon *Martini Strepi* loco natali *Oppavienſis Sileſii*, dicti *Poloni*, quod tunc Conventus Ord. Praed. *Bohemici* ad *Poloniae* Provinciam pertinerent, multis in Bibliothecis *mſ.* et ſaepius typis editum, ſed communi Chronicorum fato paſſim interpolatum, breviatum, productum. Videndi de eo omnium inſtar *Quetifi* et *Echardi Scriptores O. P. T.* I. p. 361. ad quos διαγνωσιν meam exigam. Initium eſt: *Quoniam ſcire opera* (tempora) *ſummorum pontificum romanorum* &c. Codex eſt ex deductis *ad Johannem* XXI. ut hic dicitur, et

pro